

D F N

1604





00  
17  
0020

+





DISPUTATIO BIBLICA XV.  
EX XVII. CAPITE  
GENESEOS:

de qua

SUB PRÆSIDIO SALO-  
MONIS GESNERI S. S. THEOLOGIAE  
Doctoris & Professoris in Academia VVi-  
tebergensi ad diem. 8. Novemb: Anno  
Christi 1598. DEO IUVAN-  
TE respondebit

IOHANNES EISINGIUS REGIO  
montanus Francus.



WITEBERGÆ,  
Typis M. Georgij Mulleri.  
M. D. XCVIII.



Reverendo

NOBILISS. AM-  
PLISS. RERVMQVE  
VSV SPECTATISSIMIS  
VIRIS.

*Dn. ÆGIDIO HUNNIO S.  
THEOLOGIAE DOCT. ET PROFESSORI VVI-  
tebergensi Primario, ac ducatus Saxonici Su-  
perattendenti digniss. Dn. Johanni Antonio  
Laugingero Septemviro: Dn Johanni Hœ-  
wvarto Pratori. D. Alberto à Stetten in Bocks-  
berg consuli: D. Antonio Felici VVelsero  
D. Matthæo Stenglino: D. Bartholomæo Lot-  
tero D. Nicolao Pemero. D: Martino Zo-  
belio, Collegio Evangelico apud Au-  
gustanos Praefectis.*

Meccenatibus & Fautoribus suis debita subjectione  
& observantia colendis; dedicat & offert.

*Humilimus cliens Iohannes Eisingius  
Respondens.*

WILHELM  
Georgii  
1704



De capite XVII. Genes.

*Theses:*

I.



Vod Propheta præcipit: si moram fecerit Dominus, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit Abac. 2, id exemplo Abrahami egregie docetur.

II.

Abrahamus enim, ut disputatione proxima audivimus, exilij molestias ac pericula annos undecim spe sobolis consolatus fuerat. Nato Ismaële, opinatur, hunc fore terræ Chananeæ dominum, promissionis hæredem, Ecclesiæq; Episcopū. Idq; ex eo apparet, quod in præsentem capite Deum pro Ismaëlis incolumitate ita invocat, ut aliam sobolem desperare videatur.

*Dilatio divina promissionis.*

III.

Eaq; opinione, licet irrita, annos tredecim se & uxorem sustentat. Iam verò longè aliam intelligit divini oraculi sententiam.

IV.

Anno enim nonagesimo nono vitæ, Dominus iterum illi manifesta quadam visione apparet, novisq; eum promissionibus de Isaac & præceptis instruit, de qua re nunc disputandum est.

V.

Atq; hoc quidem caput ideò nobis charum esse debet, tum quòd in eo divinæ gratiæ scaturigo & Sacramentorum fons aperitur, tum etiam quòd hæreticorum corruptelis misere semper discerptum est.

*Questio prima de annis XIII. à nato Ismaële usq; ad circumcisionem intercedentibus, de quibus quatuor scienda.*

A 2

6. Quòd



VI.

1. Quid Abraham egerit annos tredecim.

Quid egerit Abrahamus totis annis 13. Moses non annotavit, otiosum minimè fuisse, neq; etiam commemoratione indigna gessisse certum est. Nobis autem ea scire sufficit, quæ ad nostram institutionem & consolationem sunt necessaria. Rom. 15, Ioh. 20, 2. Tim. 3.

VII.

Constantia Abrahamæ.

Constantia certè illius commendatione digna est, quam omnes Christi fideles summo studio imitari oportet. Math. 10, 22.

VIII.

Et Paulus summam historiam rerum istis annis gestarum complectitur, cum ait: Abrahamum credidisse Deo, & fidem illi imputatam esse ad justiciam, cum adhuc in præputio esset. Rom. 4. Fidei proinde exercitijs, quibus nulla vel digniora vel difficiliora opera, occupatus fuit.

IX.

2. Cur Moses annotavit annos decim.

Vnde præcipuam causam observatæ istius χρονολογίας intelligimus, quòd nimirum Spiritus Sanctus cavere voluerit, ne quis justificationem Patriarchæ circumcisioni & operibus adscriberet.

X.

Argumentum pro gravitate justificationis & Chronologia.

Idcirco fidem illi ad justiciam ante annum ætatis octuagesimum quintum imputatam fuisse supra commemoratum est, jam anno demùm nonagesimo nono circumcilio instituitur.

XI.

Valet igitur Pauli ratiocinatio: quomodo Abrahamæ fides imputata est, num in circumcissione, an in præputio? Non in circumcissione, sed in præputio &c. Rom. 4.

XII.

3. Qualis fuerit Abrahamæ fides annis 13.

Vera ne autem fides esse potuit, quæ ex Ismaële Messiam nasciturum falsò sibi persuasit? Quidni? Cum non affectata, multò autem minus pertinax ignorantia fuerit. Nam, ut supra quoq; monuimus, constabat equidem Abrahamo, suum semen promissionis fore hæredem (atq; istud ad fidei substantiam sufficiebat) nondum autem ex oraculo didicerat, è qua matre illud semen suscepturus esset, cujus circumstantiæ ignorantia, fidei, quoad ἀληθοφροσίν & objectum, tam non derogat.





derogat, ac si nunc quispiam è plebe verè fidelis omnes pro-  
avos, abavos & majores Christi secundum carnem ordine enu-  
merare nequeat.

XIII.

Neq; enim Ismaëlem pro ipso Messia habere potuit, de  
cujus ferocia & barbarie vaticinium didicerat planè contrari-  
um benignitati ejus seminis, in quo omnes gentes gratiam  
essent consecuturæ, Gen. 12.

XIV.

Fides itaq; & Spiritus Sanctus, autor & conservator fidei,  
peccatis ignorantia & imbecillitatis humanæ, modò absit  
percinax perseverantia, non expellitur. Esai, 42. Matth.  
11, & 12.

XV.

Quid causæ, quòd Dominus annos tredecim oraculi sui *Cur Deus*  
explicationem differt, an non incititia Abrahamæ delectari vi- *distulerit*  
detur? Fidem & patientiam ejus experiri, eumq; simul do- *promissioe*  
cere voluit, quàm cæca sit in rebus spiritualibus humana ratio, *nè Isaacis*  
nisi à Deo doceatur & illuminetur Ioh. 6. 1. Cor. 2. 2. Cor. 3.  
Et insuper, quòd fides suis gradibus & augmentis creiscat.

XVI.

Imbecillitate interim & cœcitate nostra adèd non dele-  
statur, ut hinc inde illam detestetur Dominus. Patienter au-  
tem fert Rom. 2. Act. 13. 18. Luc. 15.

XVII.

Atqui Abram in petenda genuina prole segnior fuisse, imò  
spem omnem de sobole ex Sara fulcipienda abjecisse videtur?

XVIII.

Neq; hoc pietati & fidei repugnat, cum in desiderandis  
corporalibus beneficijs divino arbitrio vota nostra submittere  
& tempus à Deo definitum præstolari debeamus Mat. 8. Rom.  
8. Matth. 20.

*Questio II. de nomine Schaddai de quo  
tria scienda.*

XIX.

Sed tempus est, ut Mosi attendamus, quod de appariti-

A 3

1. Quid  
significet  
Et schad-  
one  
dai.



one Dei commemoret. Oraculum enim non est mutum, sed oratione luculentissima. Patriarcham alloquitur,

XX.

Et principio quidem Dominus nomen suum profiteretur, Ego sum, inquit, El Schaddai, Deus omnipotens, quod vocabulum nulli quam soli vero Deo tribuitur,

XXI.

1. Quid

Hieronymus in epistola ad Marcellam Tom. 4. fol. 41. inter decem illustria nomina, quibus Hebræi Deum appellat, hoc quoque commemorat, & ait, Aquilam vertisse ἄλκιμον, id est, robustum & sufficientem ad omnia perpetranda: in c. 10. Ezech. idem tradit hoc nomen ab Aquila, Symmacho & Theodotione versum esse ἰκανόν, quod fortem potentemque significet.

XXII.

Neque mirum, quando quidem solus Deus omnia habet & potest. Nam El fortem, Schaddai omnibus abundantem significat. Volunt enim hanc vocem Schaddai à relativo ש & nomine Dai compositam esse, quasi El Schaddai, sit El ascher Dai, Deus qui omnibus abundat, & verè αὐτάρκης est,

XXIII.

Dai alioquin satietatem & αὐτάρκεια, πλῆστον & divitias denotat Mal. 3. 15. benedictio absque satietate, Prov. 25. 15. mel edere usque ad satietatem: de in explebili gaudio vitæ æternæ Es. 66. 24. Et erit ad saturitatem mentis in mense, & Sabbathi in Sabbatho, ut veniat omnis caro ad orandum coram me, dicit Dominus. De divitijs, facultatibus & opulentia Abd. 1. v. 5. vide plura apud Galatin, lib. 2, c. 17.

XXIV.

2. Ratio  
appellati-  
onis.  
Deus αὐ-  
τάρκης  
duplici re  
spicitur.  
Merito autem nominatur Deus αὐτάρκης, sive ipsum, sive nos respicias. Ipse quidem in se talis est, cum ex se & in seipso absque ullius creaturæ adminiculo subsistat summè beatus, cuncta possideat, nullius rei indigeat, Ps. 50. omniaque possit in cælo & in terra, Psal. 115.

XXV.

Nostri respectu, partim quia quicquid habemus & possumus, ab ipso promanat 2. Cor. 3. 5. partim quia ipsum sincerè colere summa est abundantia, 1. Tim. 6. Pl. 73. 2. Cor. 9. 8. 26. Beato



## XXVI.

Beato tamen Luthero visum est, hanc vocem à nomine  
Schad, quod est s̄hō & pectus & vber, derivare, ut benignitas  
Dei indicetur, qua vetè almus est, omnia alens & sustentans.

## XXVII.

Illud autem observatione cum primis dignum est, quod <sup>3. Quando</sup>  
Dominus ipse Exo. 6.3. ad Moſen ait; apparui Abrahamo, & <sup>appellatio</sup>  
Iſaaco & Iacobo, Beel Schaddai in Deo omnipotente, & no <sup>hæc uſur-</sup>  
mine meo, Iehova, non cognitus sum eis. <sup>pata.</sup>

## XXVIII.

Dei enim hanc esse antiquissimam appellationem, qua  
Patriarchis Abrahamo, Iſaaco, Iacobo innotuit ex Gen. c. 17.  
I. 28. 3. 35. II. 43. 14. 48. 3. 49. 25 manifestè constat. Nullibi cer-  
tè, quam apud Iobum, frequentior.

## XXIX.

Cur Deus hac potissimum voce apud illos se notare vo-  
luerit, non obscurum est. Fidem enim illorum proposita sua  
cum omnipotentia, tum paterna benignitate confirmavit, ut  
scirent Deum esse divitem in misericordia toti hominum ges-  
neri in Christo promissa. Eph. 2. 4. eiq; suppetere divitias in  
omnes, qui invocant eum, sive Iudæi sint, sive Græci, Rom.  
10. 12. neq; vires deesse ad defendendam Ecclesiam, Es. 40.  
Ps. 2. Esai. 8. Matth. 10. & 16.

*Questio III. quid sit coram Deo ambulare,  
de quo quatuor.*

## XXX.

Oratio Dei duobus membris constat, mandato & pro-  
missione. Mandati prior particula hæc est, ambula coram me.

## XXXI.

Ambulare autem in conspectu Dei idem est, quod Deum <sup>i. Quid</sup>  
ex animo diligere, venerari, colere, & omnem vitam ad ipsi  
nutum instituere, quod illi faciunt, qui persuasum sibi ha-  
bent, Deum omnibus in locis adesse, omnia intueri, arcanas  
etiam animi cogitationes excutere Ps. 139. quiq; è Domini  
vultu non aliter ac servi & ancillæ dependent, Psal. 123.

32. De



XXXII.

*De quibus* De Enoch cap. 5. 22. de Noa, c. 6. 9. dictum est, quod ambulaverint cum Domino. Abrahamus c. 24. 40. 42. ait, se in conspectu Dei ambulasse: & Iacob benedicens Iosephum ejusq; filios, ait, Deus in cujus conspectu ambulaverunt patres mei Abraham & Isaac, benedicat pueris istis Gen. 48. 15. idēq; de Davide & alijs sanctis hominibus sæpe repetitur Deut. 10. 22. 28. 1. Reg. 21. v. 3. 4. & 3. v. 6. 14.

XXXIII.

*3*  
*Quid non.* Rectius intelligitur, quid sit ambulare cum Deo, si consideretur, quid sit à Deo ejusq; statutis recedere, ex adverso ambulare, Deoq; repugnare, sicut eiusmodi ἀντίθεσις Levit. 26. v. 3. 12. 21. instituitur, & Israëliticus populus dura cervice Deo rebellavit Pl. 95.

XXXIV.

*4.*  
*Quomodo.* Modum & rationem, qua id fiat, Paulus explicat, quòd ambulandum sit in novitate vitæ Rom. 6. 4. secundum spiritum, non secundum carnem Rom. 8. 4. Gal. 5. 16. ambulandum sicut in die Rom. 13. 13. ut decet filios lucis Eph. 5. 6. dignè vocatione nostra, qua vocati sumus, Eph. 4. 1. dignè Deo Col. 1. 10. 1. Thes. 2. 12. in Christo ambulandum, siquidem in ipso sumus fundati & exædificati & confirmati in fide, Col. 2. 6. 7.

*Questio IV. de perfectione seu integritate Abrahæ, de qua 2.*

XXXV.

*1.*  
*Pontificiorum depravatio, quasingūt regeneratos peccato carere, & legem perfecte implere.* Posterior mandati sententia sic habet: esto perfectus seu integer. Quod cum Pontificij audiunt, continuo hinc colligere non verentur, Abrahamum, aliosq; sanctos homines, qui laudem perfectionis & integritatis in scriptura habent, legi divinæ perfectam & omnibus numeris absolutam obedientiam præstitisse.

XXXVI.

Sed quàm futilis sit hæc collectio, multis sanè ostendi posset. Nolo enim nunc illud inculcare, quod hoc quidem sic





fit præceptum, non autem factum, quod Deus quidem postulet, homo autem facere nequeat, ut Augustinus ait.

XXXVII.

Istud potius urgeo, quod scriptura non modò nulli hominum ejusmodi perfectam obædientiam adscribit, qualem Romanenses jactitant, sed etiam sanctissimos quosq; peccati arguit, Gen. 6. & 8. Ps. 14. 116. 143. 130. Prov. 20. Job. 15. El. 64. 1. Ioh. 1. Si dixerimus nos peccatum non habere, decipimus nos ipsos, & veritas non est in nobis.

XXXVIII.

Idcirco remissionem peccatorum omnes sanctos à Deo petere oportet Ps. 32. Et Paulus concludit, Judæos & gentes omnes sub peccato esse, & carere gloria Dei Rom. 3. Et Deus conclusit omnes sub peccatum, ut omnium misereatur Rom. 11. Gal. 3.

XXXIX.

Ipsè verò Paulus jam dudum regeneratus & justificatus tantum abest, ut gloriatur, se legi divinæ satisfecisse, aut satisfacere posse, ut acerbissimis potius lachrymis carnis suæ corruptionem deploret; scimus, inquit, quòd lex sit spiritualis, ego autem sum carnalis, divenditus sub peccatum. Quòd enim facio, non cognosco. Non enim quòd volo, illud facio, sed quòd odi, illud ago. Rom. 7. item velle adjacet mihi, sed perficere bonum non reperio. Video aliam legem in membris meis rebellantem legi mentis meæ, & captivum me ducentem sub lege peccari, quòd est in membris meis.

XL.

Ac cum universæ justiciæ nostræ in conspectu Dei sint instar vestis menstruo pollutæ, quid est, quòd integritatem nostram jactemus? Esai. 64.

XLI.

Ex hoc infallibili fundamento sequitur, sacras literas, cum de perfectione & integritate fidelium loquuntur, nequaquam id velle, quòd homo regeneratus legi divinæ omnibus modis satisfacere queat. Illud autem indicant, 1. quòd justorum opera ex fide profecta hypocrisi & fraude careant, Ephes. 4. 2. omni studio, industria & alacritate fiant, 3. inq; conspectu Dei, propter imputatam Christi justiciam, qui nobis factus est

B

justicia

*Refutatio erroris*

*Pontificij*

2.

3.

4.

2. *Vera*

*sententia*

*de sancto*

*rum inte-*

*gritate.*



justicia Jer. 23. 1. Cor. 1. pro integris habeantur, acceptentur  
& placeant, Eph. 1. & 5. Ebr. 11. 4. præsertim in comparatio-  
ne cum impijs, idololatrijs & hypocritis.

XLII.

Si enim Noa, Abraham, David, Iob, Iosias, 2. Reg. 23.  
& alij, quos sacrae literæ, justos, & integros, perfectosq; prædi-  
cant, legi divinæ omnibus numeris satisfecissent, in numero  
utiq; peccatorum cæseri nullo modo possent. Scriptura verò  
è catalogo peccatorum neminem sanctorum eximit, Ps. 32.  
Rom. 3. Gal. 3. Prov. 20.

XLIII.

Eodem pacto hæc etiam perfectio & integritas furo, hypo-  
crisi, simulatæ probitati & sceleribus contra conscientiam op-  
ponitur.

XLIV.

Nec abs re est, quod D. Lutherus urget emphasin vocis  
Hebrææ, Thamim, quæ cū sit *πληρωτική*, justiciam fidei princi-  
paliter, deinde verò *επομένως* justiciam quoq; novæ obedi-  
entiæ complectitur.

XLV.

Fuit hæc ipsa de re Augustino controversia cum Cœlestio  
Pelagiano, quæ confutavit libro de perfectione justiciæ, in quo  
præcipuum hoc est, quod contra Cœlestium manifestissimis  
scripturæ testimonijs evincit, hominem in hac vita nullum es-  
se sine peccato, præter unicum Dominum nostrum Iesum Chri-  
stum. De perfectione verò & integritate justiciæ nostræ  
ibidem hoc sentit, quod integra & perfecta dicatur, 1. Quia res  
natorum opera fiunt ex fide, qua vivit justus Abac. 2. 2. quia  
ardenti studio currunt & se extendunt ad illam perfectionem  
quæ erit in vita æterna, Phil. 3. 3. quia carent enormibus con-  
tra conscientiam criminibus. Verba ejus hæc sunt. Legitur sa-  
nè homo sine crimine, legitur sine querela: at non legitur si-  
ne peccato, nisi filius hominis unus idemq; Dei filius unicus.  
Item: Quis gloriabitur mundum se esse à peccato? nisi forte  
isti, qui volunt in sua justicia, non in ipsius judicis misericor-  
dia gloriari. Item: Ingredi sine macula non absurdè dicitur  
ille, non qui jam perfectus est, sed qui ad ipsam perfectionem  
irreprehensibiliter currit, carens criminibus damnabilibus.

Vnde



Vnde sane apparet, Iesuitas obsolescos & jam pridem ad or-  
cum damnatos Pelagianorum errores in orbem Christiano-  
rum revocare.

XLVI.

Verum de hoc negotio pluribus aliàs dictum est, Iam por-  
rò attendamus, quæ promissio divino mandato adjungatur,  
Promittit enim Dominus duo, fœderis sanctionem, cum ait:  
statuam fœdus meum inter me & te, & generis augmentatio-  
nem, cum dicit: & multiplicabo te vehementer nimis,

XLVII.

Hæc Abrahamus debita reverentia excipit, uti par est,  
inq; faciem provolutus, tum indignum se esse, qui cum divina  
majestate colloquatur, Es. 6. Luc. 12. tum verò etiam paratum  
se ad obedientiam Deo præstandam testatur: simulq; cultum  
adorationis & *ευχαριστίας* Domino persolvit.

XLVIII.

Pudeat verò Calvinianos, quibus indignum virili gravi-  
tate videtur, si ad mentionem divinæ majestatis vel poplites  
inflexere, vel pileos capitibus detrahere debeant, cum Abraha-  
mus coram Deo se humi prosternat. Pl. 48. Phil. 2. 1. Cor. 11.

XLIX.

Dominus autem repetit utramq; promissionem, & ait:  
Ego sum, & erigam pactum meum tecum: erisq; pater mul-  
tarum gentium.

*Questio V. quomodo Abraham sit pater  
multarum gentium, de qua 2.*

L.

Pater multarum gentium Abrahamus duplici jure nomi-  
natur. Primum quidem *σαρκί*, deinde *πνεύματι*. Quod enim ad *I. Abrahã*  
carnalẽ attinet propagationem, ex Abrahamo non modò lu- *pater gẽ-*  
daicus populus, sed etiam Ismaelitæ, Edomitæ, aliæq; gentes *tium car-*  
descenderunt, ut iafra Gen. 25. & 36, annotatum est. *naliter.*

LI.

Et hoc loco idipsum Dominus pluribus explicat, cum ait:  
Faciã te crescere vehementissimè, & augebo te in gentes, &  
reges ex te egredientur.

LII.

Promissionem autem istam præcipuè de Spiritu-  
ali

B 2



2. *Abrahā* ali fidelium multitudine accipiendum esse, Paulus Rom. 4. pater gen- testatur, tium spi- ritualiter.

LIII.

Idq; ex eo probat, quod hæc illi edita est promissio, cum nondum circumciscus esset, ut inde constaret, eum patre esse non modò eorum, qui circumciduntur, sed etiam eorum, qui in præputio insistant in vestigia fidei Abrahami tunc adhuc præputium gestantis, Rom. 4. 11, 12.

LIV.

Non igitur habent Iudæi, quo impium suum fastum tueantur: siquidem non omnes, qui ex semine Abrahamæ ortum ducunt, sunt filij Abrahamæ, neq; omnes, qui sunt filij secundum carnem, ilico sunt filij Dei, sed filij promissionis reputantur semen Abrahamæ, Rom. 9. 7. 8.

LV.

Nam qui sunt ex fide, illi sunt filij Abrahami Gal. 3. 7. & sunt reges peccati, mundi, carnis, mortis, Ioh. 8.

LVI.

Neq; enim eorum solummodò regum pater est, qui vel in populo Israëlitico, vel inter Ismaëlitas hinc descenderunt, sed imprimis illius, quem regem regum & dominum dominatium scriptura nominat, Pl. 110. Zach. 9. 1. Tim. 6. Apo. 19. & regalis sacerdotij, 1. Pet. 2. Apoc. 1. & regum, qui Christum adorant, Pl. 72. & 2. & 24.

LVII.

Atq; hoc fundamento gentium vocatio & salus nititur, quod sciunt omnes, qui credunt, sicut Abraham credidit, benedictionis se hæredes esse, cum fidei Abrahamo, & in conspectu Dei non esse, quoad justificationem, discrimen inter Iudæum & Græcum, servum & liberum, marem & foeminam, sed omnes esse vnum in Christo Gal. 3. 9. 28.

*Questio V. de mutato nomine Abrahami, de quo 5.*

LVIII.

1. *Quomodo mutatum.* Quæ etiam causa est, propter quam Dominus, qui verus *ὀνομακλίτως*, Abrahamæ nomen, unius literæ ἐπιθήσει, immutavit. 59. Patri-



LIX.

Patriarcha haecenus Abram, id est, pater sublimis & excelsus audivit: jam vero Dominus ita illum alloquitur: non ultra vocabitur nomen tuum Abram; sed appellaberis Abraham.

LX.

Causa mutationis hisce verbis inest: quia patrem multarum gentium constitui te. Hebraea verba planiora sunt: Abrahamon goijm natathicha, id est, patrem multitudinis gentium constitui te.

LXI.

Unica litera ך nomini inserta hamon multitudinem, cumulum gregemque significat.

LXII.

Quatuor autem istius ἀλλαγῆς sunt rationes, verbis Dei expressae: 1. ut Abraham intuitu literae ך nomini inditae promissionis de semine benedicto recorderetur: 2. ut omnes gentes promissioni se inclusas esse meminerint. Pater liquidem Hamon, multitudinis, absque multitudine nec dici nec esse potest: 3. ut a Deo illo omnipotente & veraci: 4. meraque gratia profectum sciat.

LXIII.

Rabini tradunt literam ך, quae nomini Abrahamae & Sarae adijcitur, esse sacratissima Iehovae appellatione desumptam esse, quod eo comminiscuntur, ut obtineant, se esse populum Dei peculiarem, cui de suo nomine appellationem imponere non dedignatus fuerit. Sed cum Dominus ipse testetur, literam ך non esse dictione Iehova, Abrahamo ignota, Ex. 6, 3. Sed ex Hamon ascitam esse, ideo Iudaeorum somnia merito aspernamur.

LXIV.

Sicut autem Deus eo ipso momento, quo Sacramentum circumcisionis Abrahamae commendat, nomen quoque ejus immutat, ita postea quoque in populo Dei usitatum fuisse videmus, ut in circumcissione filijs nomina imponerent, Luc. 24, 45. & 2, 21.

LXV.

Vnde consuetudo apud Christianos quoque invaluit, quod in baptismo, qui circumcissioni successit, nomina dantur infantibus.





## LXVI.

4. Quid  
nomina  
admonent.

Ea verò de duabus nos rebus admonent: primò quidem nomina nostra in cœlo, in librum vitæ assignata esse, Luc. 10. Gal. 3. Tit. 3. Ioh. 1. v. 12. Es. 43. Ioh. 10. Ps. 139. Deinde, ut meminerimus, nos nomina nostra Deo profectos, & obedientiam ac sanctitatem in Sacramento initiationis stipulatos esse, 1. Pet. 3.

## LXVII.

5. Pontifi-  
cum ò vo-  
ματοποι-  
ια.

At Romani Pontifices, qui simul ac culmen illud, quod super omnem Deum effertur 2. Thes. 2. conscenderunt, nomina in baptismo sibi indita abijciunt, & nova assumunt, nihil faciunt aliud, quam quòd fidem subjectionis & observantiæ Christo datam abjurant, seq; ex Hypochristis, Christo subditis, Antichristos, Christo adversarios fieri palam testatur.

*Questio V II. in quo consistat fœdus Dei cum Abrahamo, de quo 2. promittens beneficium & accipiens.*

## LXVIII.

Quia fœdus Abrahamo promissum, idcirco quale illud sit & quæ beneficia, quæ item officia complectatur, attendendum est. Omne enim fœdus duorum est, qui inter se paciscuntur. Ex una parte hic est Deus, ex altera Abraham. eiusq; universum genus.

## LXIX.

Atq; hoc ipsum Dominus indicat hisce verbis: Statuam pactum meum inter me & te, & inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno.

## LXX.

Semen autem non modò σαρκικόν, sed etiam πνευματικόν intelligitur, ut supra monstratum.

## LXXI.

Quemadmodum etiam pactio non modò externum illud circumcisionis carnalis Symbolum, sed etiam internam regenerationis gratiam comprehendit, ut mox audiemus.

*Questio V III. de corporali promisso.*

72. Quod



LXXII.

Quod cum ita sit, quæritur jam, quid hoc pacto Deus Abrahamo ejusq; liberis promittat, quidq; ab illis vicissim exigat.

LXXIII.

De seipso Dominus stipulatur duo, primò quidem bona spiritalia: Ero Deus tuus & seminis tui post te, Deinde corporalia: Daboq; tibi & semini tuo terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaan in possessionem æternam, & prius denuò intulcat; Eroq; Deus eorum.

LXXIV.

Corporale beneficium quod attinet, de eo supra quoq; aliquoties est dictum, ut repetitione nulla sit opus.

LXXV.

Nisi quod unicum hic est explicandum, quomodo nimirum Deus Abrahamæis æternam terræ Chanaanæ possessionem polliceatur, cum nec ad finem usq; mundi eam obtineant, nec, si vel maximè eo usq; obtinerent, æterna dici queat.

LXXVI.

Sed expedita est solutio. Beneficium enim promittentis non datur, nisi ex altera parte respondeat officium accipientis. In fœdere namq; correlatè hæc sese mutuo ponunt & tollunt, beneficium & obsequium. Terra Chanaan promittitur hac conditione, si Semen tuum post te custodierit pactum meum. Jam quia Iudæi non custodierunt pactum, quid aliud consequi potuit, quam ut possessione terræ Chanaan excuterentur.

*Quomodo possessio terræ Chanaan æterna.*

LXXVII.

Pactum si custodivissent, Deus quoq; terram promissam ad finem usq; mundi illis concessisset.

LXXVIII.

Nam Olam, Græcis αἰώνιον triplici significatione in scriptura accipitur. Primò quod non habet finem, deinde quod usq; in hujus seculi tenditur finem, deniq; quod ultra memoriam hominum protrahit finem, Augustinus lib. 16. de civitate D. c. 26. & in quæstionibus super Gen. quæst. 31.

*Olam æternū triplex*

LXXIX.

Vbiq; autem pro subjecta materia explicandum est, de rebus cœlestibus & æternis æternè, de temporalibus temporaliter, de diuturnis diuturnè.

Quæstio





*Questio I X. de spirituali promisso  
de quo 3.*

LXXX.

Iam in spiritualium bonorum sponse tria sub conside-  
rationem veniunt, quid, cui, quomodo.

LXXXI.

Quid enim hoc est peculiare, quod Deus Abrahamo pol-  
licetur, ero Deus tuus & seminis tui, an non omnium homi-  
num & creaturarum Deus est?

LXXXII.

Est sanè, ut pote, qui omnia creavit, & universa con-  
servat, Acto, 17.

LXXXIII.

Abrahamo verò & fidelium cœtui non eo saltem modo  
sefe obstringit, quod illos conservare, alere, & incolumes  
præstare, quæ beneficia æquè impijs ac pijs contingunt, Matt.  
5. Luc 6. Sed istud principaliter promittit, quòd singulari il-  
los amore & gratia complecti, justos & salvos facere velit,  
loh, 3. Ephes, 1.

*Deus A-  
brahami  
& Ara  
hamorū  
tribus de  
caus.*

LXXXIV.

Sic enim Dominus ipse suam mentem aperit Abrahamæ ne-  
potibus: Habitabo in eis, & obambulabo inter eos, & ero i-  
psorum Deus & ipsi erunt mihi populus, Lev 26, 12.

LXXXV.

Et quando Deus ait: Ero Deus tuus & Deus seminis tui,  
planè idem est cum eo, quod Ier. 31, 2. Dominus promittit:  
Ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios & in filias, di-  
cit Dominus omnipotens 2. Cor. 6 18.

LXXXVI.

Simul verò istud quoq; Deus Abrahamo spondet, penes  
ipsum nepotes fore veram Ecclesiam, publicum docendi mu-  
nus, verbum, Sacramenta, Prophetas & Patriarchas, quod  
beneficium nulli nationi contigit Ps. 147.

LXXXVII.

Et deniq; idcirco Deus Abrahami vult nuncupari, ut  
monumen-



monumentum resurrectionis nostræ vitæq; æternæ extaret,  
Matth. 22. Luc. 16.

LXXXVIII.

Alterum ex propositis est, cuius velit esse Deus? Ero, *2. Quorum*  
Inquit, Deus tuus & seminis tui. Eodem nelligitur amoris affectu *Dominus*  
paternaq; dilectione omnes Abrahæ posteros, quales quales il- *velit esse*  
li sint: sive credant sive non credant, complectitur ita ut o- *Deus.*  
mnibus sit misericors Deus & benignus pater, nullorum seve-  
rus iudex?

LXXXIX.

Deus equidem non modo Israëlitarum, sed omnium et-  
iam hominum, sine ullo discrimine & exceptione fidelium  
aut infidelium misericors Deus & benignus Pater est, hacte-  
nus, quod non vult perire quenquam, 2. Per. 3. quod non  
vult mortem peccatoris, Ezech. 18. & 33. quod totum mun-  
dum diligit, totiq; mundo filium suum donat, Ioh. 3. quod  
filius Dei *ἀγαπᾷ* pro omnium hominum peccatis persolvit. Ef.  
3. Ioh. 2. 1. Tim. 2. quod per vocem Evangelij universos  
ad agnitionem Christi sermo vocat, Matth. 20. & 22. & 11.  
Ioh. 6. Tit. 2. & per fidem in Christum salvos fieri absq; si-  
mulatione ex animo desiderat, Matth. 23. 1. Cor. 1.

XC.

Interim verò quia Deus semini Abrahæ talia & insuper  
benedictionem, justiciam, æternamq; beatitudinem promit-  
tit, & scriptura semen Abrahæ de fidelibus exponit, Ioh. 8.  
Rom. 4. Gal. 3. ex eo sequitur, beneficiorum Abrahæ ejusq;  
semini oblatorum non nisi in Christum credentes fieri par-  
ticipes.

XCI.

Qui enim ex fide sunt, benedicuntur cum fideli Abra-  
hæ, Gal. 3. 9.

XCH.

Et Abraham pater est eorum, qui incedunt vestigijs eius,  
quæ est in præputio, fidei patris nostri Abrahami Rom. 4. 12.

XCH I.

Atq; istud adeò verum est, ut Christus Iudæis de hæc  
prærogativa superbe gloriantibus expresse dicat; Si filij Abra-  
hæ



ham essetis, opera Abrahami faceretis. Item, si Deus esset pater  
vester, diligeretis utiq; me. Vos ex patre diabolo estis. Ioh. 8.

XCV.

Et Paulus Rom. 11. testatur, Iudæos licet essent natura-  
les rami, propter incredulitatem tamen excisos esse, gentes  
autem, licet essent oleaster, per fidem insertas esse.

XCV.

3. Deus nõ  
immedia-  
te, sed me-  
diatè su-  
am gratiã  
& vitam  
æternam  
confert.

Hinc porrò etiam patet, quid de tertio, quod proposui-  
mus, statuendum sit. Quæritur enim, qua ratione Dei promissio  
ad omne semen Abrahamæ perveniat, num *ἀπλῶς* & imme-  
diatè, an certa conditione & medijs.

XCVI.

Calvinianorũ deli-  
riũ de libe-  
ris fideiũ.

Petrus equidem Martyr hunc locum exponens, scribit,  
infantes ex fidelibus natos ante baptismum ad Deum pertine-  
re, & si patrem aut matrem non habuerint Deo conjunctos,  
fortè habuisse aliquos ex suis majoribus, ideoq; eos esse mem-  
bra Ecclesiæ, proptereaq; sanctos ex mera Dei misericordia, li-  
cet *FIDEM VERAM IN CHRISTVM NON HA-  
BEANT.*

XCVII.

De aliena  
fide.

Martyri pseudomartyri ad stipulatur Calvinus, qui in  
cap. 9. Matth. ista reliquit emblemata: Quæri hoc loco solet,  
quatenus hominibus profit aliena fides? Ac primò quidem  
certum est profuisse Abrahamæ fidem posteris, cum gratuitum  
salutis fœdus sibi & semini suo oblatum amplexus est. Idem  
& de singulis fidelibus sentire convenit, quòd Dei gratiam  
fide sua ad liberos & nepotes propagent, *ETIAM AN-  
TE QUAM NASCANTVR. ATQVE ID IN PVE-  
RIS INFANTIBVS LOCVM HABET, QVI NON-  
DUM PER ÆTATEM FIDEI, SVNT CAPA-  
CES.*

XCVIII.

Sed Calvinianorum hisce portentis, quæ veluti spolia  
è pontificatu extulerunt, opponimus, quod Propheta ait,  
Iustus sua fide, non aliena fide, vivit, Abac. 2. & Ezech. 18.  
justicia justus erit super eum, & iniusticia iniusti erit super e-  
um, Et si vir justus genuerit filium iniustum, latronem, etc.  
numquid



numquid vivet? non vivet, morte morietur, sanguis ejus in ipso erit. Et impossibile est quenquam Deo placere absq; fide, Eb. 11.

X C I X.

Præsentem verò locum quod attinet, catholicum habemus ejus interpretem Apostolum Petrum Act. 2. qui promissionem istam, Ero Deus tuus & Deus seminis tui, adeò non absq; conditione omnibus promiscuè Judæis, quicquid tandem agant, dedicatam vult, ut apertissimis hisce verbis pœnitentiam & baptismi lavacrum illis injungat, si beneficij participes esse velint: vobis, inquit, & liberis vestris facta est promissio: pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisq; vestrum in nomine Christi Iesu.

*Quomodo  
Petrus  
præsentē  
promissio-  
nem ex-  
ponat.*

C.

Promissum proinde, ero Deus tuus & Deus seminis tui, ab adjuncta conditione, Et tu ergo custodies pactum meum & semen tuum post te, non nisi manifesta fraude διαγέστωσ divellitur.

C I.

Contra verò Deus semini Abrahamæ omniumq; fidelium tantisper se adstringit, quod infantes in Ecclesia nati hanc insignem prærogativam præ illis, qui foris sunt, habere debeant, ut illis ad Sacramenta, & reliqua supra commemorata Dei beneficia liber accessus, perq; ista organa & media ad æternam quoq; beatitudinem janua & aditus pateat.

*Præroga-  
tiva eorū  
qui in Ec-  
clesia na-  
scuntur.*

C II.

Quod discrimen vel ex eo apparet, quod de Judæorum infantibus Dominus ait: Sinite parvulos ad me venire, & nolite prohibere, Matth. 18. Ad Chananaeam verò mulierem pro filia intercedentem dicit: Non sum missus nisi ad oves perdita s domus Israëliticæ, non est bonum panem accipere liberis, & obijcere canibus Matth 15.

C I I I.

Hæc de promissionibus deq; beneficijs Dei. Restat quid Dominus ab Abrahamo ejusq; semine exigat: Et tu ergo, inquit, custodies pactum meum & semen tuum post te in generationibus suis. Quæ cum plana sint, disquisitione nulla indigent.

C I V.

Atq; ista hæcenus. De circumcissione & reliquis hujus capituli partibus proximè disseremus.

SOLI DEO GLORIA.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several paragraphs and is mirrored across the page.





AB

52

9  
549

ULB Halle 3  
003 140 237



sb.


Wort











10

ATIO BIBLICA XV.

# VII. CAPITE NESEOS:

de qua

*ÆSIDIO SALO-*  
*SNERI S. S. THEOLOGIAE*  
*Professoris in Academia VVi-*  
*ad diem. 8. Novemb: Anno*  
*1598. DEO FUVAN-*  
*TE respondebit*

ES EISINGIUS REGIO  
ontanus Francus.



WITEBERGÆ,  
*M. Georgij Mulleri.*  
M. D. XCVIII.

